CANTVARIENSIVM ARCHIEPISCOPORVM OMNIVM A SANCTO AVGVSTINO PRIMO CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO, CATALOGVS,

Per R. D. Marianum Victorium, olim ex Tabulis atque Scripturis ipsius Ecclesiæ Cantuariensis Collectus: nunc verò primùm à Doct. GERARDO VOSSIO in lucem editus, Notisque illustratus.

ACCESSIT PASSIO S. THOMAE CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI, breuiter accurateq. descripta.






ROMÆ,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti. M. DC. IV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ill.mo & R.mo Cardinali Bellarmino, Archiepiscopo Capuano dig.mo & vigilantissimo Auctor G. Vossius

CATHOLICO, AC CANDIDO LECTORI GERARDVS VOSSIVS SALVT.






ANTVARIENSIVM Archiepiscoporum omnium à Sancto AVGVSTINO primo Archiepiscopo (quem S. GREGORIVS PAPA eius nominis primus cognomento Magnus ad conuersionem Regni Angliæ misit) Catalogum tibi exhibemus, fideliter iuxta temporum seriem, continuamq. eorum qui eam Sedem tenuerunt, successionem, concinnatum, Catholice, candideq. LECTOR: vt inde tibi, ac cunctis innotescat, non solum qui, ac quales viri illam olim Ecclesiam tenuerint, & administrarint; sed etiam qua pietate ac fide Dominicum gregem Archipræsules illi omni quasi tempore ibi curarint, & Summi Romani Pontificis auctoritatem obseruarint ac honorarint. Cognoscere enim inde licet manifestè, qua reuerentia & obseruantia, fiduciaq. semper ad Sanctam Sedem Apostolicam, non modò in suis inaugurationibus pro confirmatione, ac concessione Pallij, verùm etiam in alijs quibuscumq. rebus arduis ac grauibus occurrentibus, velut ad tutissimum extra pericula portum, piamq. omnium Ecclesiarum matrem confugere sint soliti, se illi commendantes, & auctoritatem præsidiumq. ab ea expectantes, atque percipientes.

Et ne quis vulgarem, ac velut ex triuio aliquo erutum, præsentem hunc existimet Catalogum: collectus is est atque descriptus, religione adhuc ibi stante, ex Tabulis atque Scripturis ipsius Ecclesiæ Cantuariensis; vnde eum accepit pius & eruditissimus vir Marianus Victorius Reatinus, dum Amplissimo Cardinali Polo sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & postremo insignis illius Ecclesiæ Archiepiscopo designato, in Angliæ Regno sub Iulio Papa tertio, vti familiaris adesset: ex cuius illum collectaneis manuscriptis Romam delatis, post eius obitum, Tibi & vniuersæ posteritati communicandum desumpsimus, libenterq. modò communicamus, ac gratæ posteritati consecramus; Deum

rogantes, vt Ecclesia illa cum vniuerso Regno ad gremium matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ tandem redeat, pristinumque auitæ orthodoxæ religionis feruorē recipiat, & supra firmam fidei petrā iterum syncere coalescat ac reflorescat; nec sint amplius ibi schismata ac in religione dissidia, sed credentium cor vnum, & anima vna.

Recensentur porro in præsente hoc Catalogo, Archiepiscopi Ecclesiæ Cantuariensis, cum suis nominibus ac partim cognominibus, numero sexaginta septem, (inter quos tredecim etiam numerantur Sancti) & sub quibus isthic Regibus vixerint, & à quibus Summis Pontificibus Romanis suam confirmationem, vsumq. Pallij acceperint, & quot annis sederint, ac quando decesserint, qualemq. vitæ finem habuerint; & quomodo etiam duo inter illos, Stigondus scilicet, & Thomas Cranmerus propter varia obiecta crimina, & enormia vitæ scandala, schismata ac hæreses, Archiepiscopali dignitate priuati sint, maleq. perierint, breuiter accurateq. enarratur: sicut Tu Catholice ac candide LECTOR, perlegendo decernes; & ex lectione (sicut confidimus) voluptatem fructumq. percipies, nostrumq. pro te laborem boni consules. Vale, Ex Vrbe Roma, Anno Domini, M. DC. IIII.



CANTVARIENSIVM ARCHIEPISCOPORVM OMNIVM A S. AVGVSTINO PRIMO ARCHIEPISCOPO, CATALOGVS.





1 SANCTVS AVGVSTINVS Monachus, à Sancto Gregorio Pontifice Romano in Angliam miſſus, Anno Domini 597. Ethelbertum Regem ad Chriſti fidem conuertit. Primus Dorouerniæ (quæ nunc Cantuaria dicitur) Archiepiſcopalem cathedram tenuit, & Chriſto Saluatori in eadem Vrbe Baſilicã dedicauit. Sepultus eſt iuxta Cœnobium SS. Petri & Pauli, quod Rex Etheſbertus eo adhortante prope Cantuariam condidit, anno Domini 609. Poſtea in celebriorem eius Cœnobij partem tranſlatus eſt, anno Domini 1091. ſedente B. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo.

Sedit S. Auguſtinus annis xiij.

2 S. LAVRENTIVS, S. Auguſtini ſocius, atque ab eo ſucceſſor ordinatus. Edbaldum Regem à Chriſti fide deficientem reconciliauit; & non modò Anglos, ſed etiam Britannos veteres, Scotos, & Hybernos catholicis ritibus informauit. Obijt anno Domini 619.

Sedit annis x.

3 S. MELLITVS, vnus ex Beati Gregorij diſcipulis, Londonienſis Epiſcopus primus à S. Auguſtino inſtitu-

tus,

tus, Orientales Saxones ad Chriſti fidem conuertit; populi deinde ſæuitia ex Vrbe ſua Londino pulſus, in Gallia exulauit: poſtea ſub Edbaldo Rege reuocatus, & defuncto Laurentio Cantuarienſis Archiepiſcopus creatus eſt, ordine Tertius ab Auguſtino. Obijt anno Domini 624.

Sedit annis v.

4 S. IVSTVS, Roffenſi Epiſcopatui, viuente Auguſtino, præpoſitus; defuncto Mellito, Quartus in Cantuarienſem Archiepiſcopatum ſucceſsit, à Bonifacio Quarto Pont. Rom. Pallio donatus. Paulinum diſcipulum Euangelij prædicatorem in Northumbriam legauit, eumq́. Eboraci Archiepiſcopum conſtituit. Obijt anno Domini 640.

Sedit annis xvi.

5 S. HONORIVS, ſub Honorio primo pontifice pallio donatus. Felicē Burgundū Apoſtolicum virum ad Orientales Anglos miſit, qui Academiam Cantabrigiæ fundauit: Ethelburgam Edbaldi Regis ſororem virginem velauit, & ad villā Limming Monaſteriū condidit. Obijt anno Domini 653.

Sedit annis xvij.

6 S. ADEODATVS, Angelicus dictus, ab Auguſtino ſextus, Honorio ſucceſsit. Obijt anno Domini 664.

Sedit annis x. menſes iiij.

7 S. THEODORVS, Græcus ex Tharſo Ciliciæ, Monachus, à Vitaliano Pontifice Romano Cantuarienſis Archiepiſcopus deſignatus, atque in Angliam cū Adriano Abbate Afro miſſus eſt, anno Domini 668. Hic anno Domini 673. Synodum Epiſcoporum apud Herefordiam celebrauit, in qua quatuor œcumenica Græcorum Concilia approbauit. Huius diſcipuli fuere quàmplurimi viri in Anglorum Eccleſia celebres: Ioannes à Beuerlaco, Tobias Roffenſis Epiſcopus, & alij, quos Beda ſuo tempore vixiſſe teſtatur. Scripſit ſum-

mam Pænitentialem, Patrum Canones, ordinationes Cleri, de fide contra Eutichen, & alia. Obijt anno Domini 690. suæ ætatis 88. tertio decimo Cal. Octobris.

Sedit annis xxv.

8 BRITHOVALDVS, ex Anglica natione Primus, post Theodorũ Cãtuariensis Archiepiscopus. Danielem VVintoniensem Episcopum ordinauit. Synodum celebrauit, cui VVinfridus, qui postea Bonifacius Moguntinẽsis Archiepiscopus, Germanorum Apostolus interfuit. Obijt anno Domini, 731.

Sedit annis circiter xxx.

9 TADVVINVS, sedit annis iij.

10 NOTELINVS, annis v. Sub hoc, Beda presbyter in Anglia claruit.

11 CVTHBERTVS, antè Herefordiensis, annis xviij.

12 BRETHVINVS, annis iij.

13 LAMBERTVS, Abbas, S. Augustini, annis xxvij.

14 ADELARDVS. hoc sedente, Alcuinus Diaconus & Cantuariensis Cœnobij Abbas vixit, qui postea Caroli Magni præceptor fuit. Sedit annis xiij.

15 VVILFREDVS, Romæ à Leone Quarto Pontifice Pallium accepit. Sedit Annis xxxviij.

16 THEOLOGILDVS, siue Pleogildus, sedit annis iij.

17 CELNOTVS, siue Chelutus, sedit annis x.

18 ATHELARDVS, VVintoniensis antea Episcopus, sedit annis xviij.

19 PLEIMVNDVS. . . . . .

20 ATHELMVS, Adestanum Regem, ad Kingston Oppidum inunxit, anno Domini 926.

21 VVILSELMVS, VVelensis antea Episcopus, sedit annis x.

S † ODDO, cognomento Seuerus, ex Dacis oriundus, relictis parentibus infidelibus, Christianis disciplinis imbu- † al. Odo.

tus,

tus, Græcè ac Latinè doctus. sub Edmundo primo Rege Sarisburiensis Episcopus fuit, postea Cantuariensis Archiepiscopus, ab Agapito Pontifice Romano pallium accepit. Scripsit statuta Synodalia. De fide Eucharistiæ, ad Floriacenses Monachos in Gallia. Obijt anno Domini 956. Regnante Edvvino Rege in Anglia.

Sedit annis xiij.

23 S. DVNSTANVS Monachus, & Glasconiensis Cœnobij Abbas, postea VVigorniensis & Londinensis Episcopus: translatus deinde ad Archiepiscopatum Cantuariensem, à Ioanne XII. Pontifice Romano pallium accepit. Ab Edvvino Rege in exilium eiectus, postea sub † Edgaro Rege reuocatus fuit. Eduardum, & Ethelredum Reges sacrauit. Obijt anno Domini 988. anno ętatis suę septuagesimo, Ethelredo in Anglia regnante.

† al. Ethgaro.

Sedit annis xxviij.

24 ETHELGARVS.
25 SIRICIVS.
26 ALVRICIVS, siue Aluredus.

Hi omnes annis circiter xviij. præfuere, sub Danis Regibus tyrannicè in Anglia regnantibus.

27 S. ELPHEGIVS, (al. Elphegus) Abbas Monasterij de Hirst, defuncto Etheluuoldo VVintoniensis Episcopus creatur: postea in Cantuariensi Archiepiscopatu Aluricio successit, anno Domini 1006. Romæ palliũ accepit. Obsessa demum ac direpta à Dacis Cantuaria, securi in capite percussus Martyr obijt, anno Domini 1012. tertio decimo Cal. Maij. anno Episcopatus sui septimo, vitæ verò 59. Suenone Dano in Anglia regnante.

Sedit annis xix.

28 LIVINGVS.....

29 ATHELNOTVS, ex Decano Cantuariensis Archiepiscopus creatus, Romam pro pallio profectus, brachiũ S. Augustini

gustini Hipponensis Episcopi, Papia in Angliam deportauit. S. Elphegij corpus transtulit. Obijt anno Domini 1036. Canuto Dano in Anglia regnante.

Sedit annis xvi.

30 †EDSINVS, sedit annis xi. † al. Edsius.

31 ROBERTVS Normannus, antea Londinensis Episcopus, sub S. Eduardo Rege claruit. Obijt in Normannia, Diuo Eduardo in Anglia regnante.

Sedit annis ij.

32 †STIGONDVS sub Guilielmo Normanno Rege Cantuariensis Archiepiscopus designatus: postea congregata apud VVintoniam, Synodo, præsentibus Alexandri secundi Pontificis Rom. Legatis duobus, Archiepiscopatu priuatus fuit, ob varia crimina illi obiecta: videlicet, quòd viuo adhuc Roberto intrusus: quòd Episcopatum VVintoniensem cũ Archiepiscopatu Cantuariensi simul possederat: quòd pallium à Benedicto x. quẽ Cardinales pro schismatico repudiauerãt, accepisset, &c. VVintoniç in carcere perijt, ann. Domini 1069. † al. Stigandus.

Cùm sedisset annis xvij.

33 LANFRANCVS, Papiæ in Cisalpina Gallia natus, Cadomensis Cœnobij in Normannia Abbas, post Stigandi priuationem, in Archiepiscopatu Cantuariensi successit: vir doctissimus, contra Berengarium, pro Eucharistiæ sacramento scripsit. item & in Epistolas Pauli, in Psalmos commentaria, & alia edidit. Christi Ecclesiam Cantuariæ instaurauit: peregrinis iuxta vrbem suam Xenodochia duo condidit. Obijt anno Domini 1090. Guilielmo. Rufo in Anglia regnante.

Sedit annis xix. vacauit sedes annis iiij.

34 S. ANSELMVS NATIONE BVRGVNDVS, siue, vt alij, Italus, ad Alpiũ radices in Augusta vrbe natus, Beccẽsis Cœnobij in Normannia Abbas, vacante post Lãfranci

franci mortem Cantuarienſi ſede annis quatuor, Archiepiſcopus delectus. à Rufo Rege in exilium eiectus, Romam ad Paſchalem 2. Pontificem ſe contulit: deinde ſub Henrico 1. Rege in Angliam reuocatus fuit. Ceſtriæ Cœnobium condidit, multaq. ſanctiſsimè ſcripſit, atque ab Eccleſia recepta Opera, quæ adhuc reſtant, reliquit. Obijt anno Domini 1110. Henrico primo regnante.

Sedit annis xvi. vacauit ſedes annis v.

35 RADVLPHVS antea ROFFENSIS Epiſcopus, ſedit annis viij. Obijt 13. Kalẽdas Nouemb. anno Domini 1122.

36 GVILIELMVS · · · · ſedit annis xv.

37 THEOBALDVS Abbas Beccenſis Cœnobij, Henricum 2. Regem inunxit. Romæ pallium ab Innocentio 2. Pontifice accepit, à quo & primus Legati nati titulo donatus fuit: quod nomen omnibus poſtea Cantuarienſibus Archiepiſcopis permanſit. Obijt anno Domini 1163. Henrico ſecundo in Anglia regnante.

Primus Legati nati titulo donatus.

Sedit annis xxij. vacauit ſedes ann. 1.

38 S. THOMAS, ex regni Cancellario Archiepiſcopus, Eccleſiæ ſuæ iura defendens, ab Henrico ſecundo Rege in exilium actus, ad Alexandrum Tertium Pontificem confugit: cuius opera, deniq. in patriam reſtitutus, pro ſua Eccleſia martyrio coronatur, anno Domini † 1171. regnante eodem Henrico 2.

† al. 1170.

Sedit annis viij.

39 RICHARDVS † Douorẽſis Cœnobij Abbas, Anagniæ in Italia ab Alexandro Tertio Pontifice confirmationem & Ponſicalia ſuſcepit. Synodum apud Northãpton celebrauit anno Domini 1178. Cui Hugo Cardinalis, Alexandri Tertij Pontificis Legatus interfuit. Scripſit Epiſtolas ad Petrum Bleſenſem, & ad Epiſcopos Hyberniæ. Obijt anno Domini 1188. eodem Henrico ſecundo regnante.

† al. Dorouernenſis.

Sedit annis x.

BAL-

40 BALDVINVS, ex VVigornienſi Epiſcopo, Cantuarienſis Archiepiſcopus creatus. Richardum Regem cognomento Curdelyon ad ſacrum bellum in Syriam ſecutus, in Tyro Phœniciæ obijt, anno Domini 1191.

Sedit annis viij. vacauit Sedes vſque ad Regis reditum.

41 HVBERTVS, Sariſburienſis Epiſcopus, Reginaldo Barthonienſi Epiſcopo (qui ante conſecrationis ſolennia, obijt) in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſucceſsit. Monachos ex Cãtuarienſi collegio eiectos, reſtituit. Sub Ioanne Rege Ecclesiam vexãte, animi mœrore contabuit, anno Domini 1205.

Sedit annis xi. menſes viij. dies vi. vacauit ſedes annis ij.

CARDINALIS.

42 STEPHANVS LANGTON, Pariſienſis Cancellarius, ſub Innocentio Tertio Pontifice Romano presbyter Cardinalis factus eſt; poſtea Romæ ab eodem Cantuarienſis Archiepiſcopus deſignatus: poſt multas autem cũ Ioanne Rege controuerſias, ad Cantuarienſem Eccleſiã reſtitutus, D. Thomæ corpus ſolenniter tranſtulit. Obijt anno Domini 1228. Henrico tertio in Anglia regnãte. Extant huius Conſtitutionum Prouincialium Tituli xxviij.

Sedit annis xxi.

43 RICHARDVS cognomento Magnus, Stephani Cardinalis ſucceſſor. poſt aliquot annos ſub Gregorio Nono Pontifice Romam profectus, cauſſam contra Hubertum Cantij comitem acturus pro recuperatione arcis Tunbrigij, domum rediens, in itinere obijt, anno Domini, 1229. eodem Henrico in Anglia regnante. Conſtitutiones Prouinciales edidit v.

Sedit annum vnum.

44 S. EDMVNDVS, in Albendonio oppido natus, ex Theſaurario Sariſburienſi propter vitæ ac morum ſanctitatem ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum delectus eſt: poſt multas autem ſub Henrico Tertio Rege illatas Eccleſiæ

suæ iniurias, S. Thomę institutum secutus, in Pontiniacensi
† al.: 246. Cœnobio in Gallia exul obijt, anno Domini † 1240. Constitutiones Prouinciales reliquit xxi. Ab Innocētio Quarto, Sanctorum Catalogo adscriptus.

Sedit annis viij. vacauit Sedes, annis iij.

45 BONIFACIVS Sabaudiensis, Aleonoræ Reginæ auūculus, Cantuariensis Archiepiscopus. Constitutiones Prouinciales composuit xix. Obijt anno Domini 1272. regnante in Anglia Henrico Tertio.

Sedit annis xxvij. vacauit Sedes annis iij.

II. CARD. 46 ROBERTVS Kilvvarbiæ, Dominicanus Angliæ prouincialis, Cantuariensis Archiepiscopus factus: ac postea à Nicolao Tertio Cardinalis, & Portuensis Episcopus declaratus. Cātuariensem Archiepiscopatum resignauit, & Romam profectus, postea Viterbij obijt, anno Domini 1278.

Sedit annis ij.

47 IOANNES PECKAM, Franciscani ordinis in Anglia prouincialis, Romæ postea sacri Palatij magister, sub Nicolao Tertio Pont. Cantuariensis Archiepiscopus designatus est. Redyngij & Lambethi Synodos celebrauit: in quibus Lugdunensis Concilij decreta, ac Othonis & Othobonis legatorum Constitutiones approbauit: quibus ipse suas quoq. adiunxit apud Redyngium, numero xij. apud Lambethū xxxv. Obijt anno Domini 1293. regnante Eduardo primo.

Sedit annis xiij.

48 ROBERTVS VVijnchelsey, Regnāte Eduardo Primo, Cantuariensis Archiepiscopus declaratus. Constitutiones Prouinciales edidit ix. Obijt anno Domini 1312. regnante Eduardo Secundo.

Sedit annis xix.

GVAL-

49 GVALTERVS Reginold, ex Eduardi Regis Thesaurario Cantuariensis Archiepiscopus factus, Eduardum Tertium iuuenem inunxit. Constitutiones item Prouinciales composuit xvi. Obijt anno Domini 1328. regnante Eduardo Tertio.
Sedit annis xv.

50 IOANNES STRETFORD, VVintoniensis antea Episcopus, Pontificij & Ciuilis iuris peritissimus. Conuentum Londini habuit anno Domini 1329. Constitutiones Prouinciales edidit xix. Item Extrauagātes vulgò appellatas numero xiiij. Obijt anno Dñi 1348. regnante Eduardo Tertio.
Sedit annis xx.

51 IOANNES † Ostord, sedit menses x. tantùm. † al Osford.

52 THOMAS .... sedit annum vnum.

53 SIMON Islepp, post Ioannem & Thomam, qui eodem anno ferè obierunt, sub Clemente vi. Pont. Rom. Cantuariensis Archiepiscopus creatus. Oxonij Collegium condidit, Canterburij Colledge vulgò appellatum. De ferijs & Missarum celebratione Constitutiones reliquit. Obijt anno Domini, 1365. regnante Eduardo Tertio.
Sedit annis xvij.

III. CARD. 54 SIMON LANGHAM, ex Eliensi Episcopo Cantuariensis Archiepiscopus creatus est: qui post biennium ab Vrbano V. Pontifice Romano Cardinalis designatus, Archiepiscopatum resignauit, & Auenionem ad Pontificem profectus est, anno Domini 1367. Inter Cōstitutiones Prouinciales, præcipuè illam quæ de Consuetudinibus inscribitur, reliquit.
Sedit annis ij.

55 GVILIELMVS VVigoriensis Episcopus, sub Eduardo Tertio Rege Archiepiscopatum Cantuariensem rexit, maximis bellis inter Gallos & Anglos durantibus. Obijt anno Domini 1374. eodem Eduardo regnante.

SI-

† al. Sudberey. 56 SIMON † Sudberg, ex Londinensi Episcopo, Cantuariensis Archiepiscopus creatus, Constitutiones Prouinciales edidit iiij. Londini demum populari seditione sub Richardo Secundo Rege à Strauno & Caddo Cantianis hominibus excitata, in suburbio vocato SuthumarK, vnà cum Regis confessore, & Ioannitarum militum Magistro interfectus est, anno Domini, 1381.

Sedit annis vij.

57 GVILIELMVS Courteney, nobilitate & doctrina vir insignis. VVicclefistas hæreticos oppressit. apud Maijdston Sacerdotum collegium fundauit. Obijt anno Domini, 1382. Regnante Richardo Secundo.

Sedit vix annum.

58 THOMAS ARVNDELL, Richardi Arundelij Comitis frater. Henricum Quartum Regem sacrauit. VVicclefistas hæreticos plures cōbussit. Cōstitutiones Prouinciales cōposuit ix. Obijt anno Domini 1415. regnāte Henrico Quinto.

Sedit annis xxxiij.

59 HENRICVS CHICKELEY, Meneuensis Episcopus. VVicclefistas hæreticos quoque impugnauit. Constitutiones Prouinciales tres potissimum edidit. Oxonij duo insignia scholasticorum Collegia condidit, atque dotauit, Animarum, & D. Bernardi vulgò nuncupata. Huic Pontifici Guilielmus Lymund Anglus Constitutionum Prouincialium librum nuncupauit. Obijt anno Domini 1445. Henrico Sexto in Anglia regnante.

Sedit annis xxix.

60 IOANNES STAFFORD, vir nobili prosapia. Sedit annis vij.

IIII. CARD. 61 IOANNES KEMP, ex Archiepiscopo Eboracensi, Cantuariensis declaratus est: ac demum sub Nicolao V. Pont. Rom.

Rom. Cardinalis designatur. Obijt anno Domini 1456. sub Henrico Sexto Rege.

Sedit annis ferè tribus.

V. CARD. 62 THOMAS BOVRSCHER, Henrici Bourscher Essexiæ Comitis frater, ex Eliensi Episcopo Cantuariensis Archiepiscopus: postea à Calisto Papa Tertio, Tituli sancti Cyriaci Cardinalis designatus est: quo sedente, D. Edmundus Sarisburiensis Episcopus inter Sanctos relatus. Obijt anno Domini 1489. regnante Henrico Septimo.

Sedit annis xxxiij.

VI. CARD. 63 IOANNES Morton, Eliensis Episcopus, & Anglici regni Cancellarius: postea ab Alexandro sexto Pont. Cardinalis declaratus. Obijt anno Domini 1500. Henrico vij. in Anglia regnante.

Sedit annis xi.

64 HENRICVS † SARISBRICENSIS Episcopus. † al. Sarisburiensis.

Sedit annum tantùm.

65 GVILIELMVS VVARAINVS, ex Londinensi Episcopo Cantuariensis Archiepiscopus. sub Henrico vij. & viij. Regibus, vixit vsque ad annum Domini, 1532.


Sedit annis xxx.


66 THOMAS CRANMER, sub Henrico viij. & Eduardo vj. durante schismate in Anglia, ipse maximè omnium hæreticus & schismaticus, sublato etiã Regni schismate, Archiepiscopali dignitate priuatur, anno Domini 1555. Philippo & Maria maximè Catholicis Principibus in Anglia regnãtibus. Cõburitur Oxoniæ, vxore, & filijs relictis, cũ sedisset annis xx.

VII. CARD. 67 REGINALDVS Cardinalis Polus Legatus.

FINIS CATALOGI ARCHIEPISCOPORVM OMNIVM CANTVARIENSIVM, qui à S. Augustino primo Archiepiscopo, vsque ad tempora Reginaldi Cardinalis Poli, S. Sedis Apostolicæ Legati, ac postremi illius Ecclesiæ Archiepiscopi, fuerunt.

NOTAE GERARDI VOSSII IN PRAECEDENTEM CATALOGVM ARCHIEPISCOPORVM CANTVARIENSIVM.





SANCTVS AVGVSTINVS Monachus à S. GREGORIO Pontifice Romano missus,&c.] *De Legatione huius S. Augustini, & Sociorum, (quorum in hoc etiam Catalogo fit mentio) eorumq. prædicatione, miraculis, & Anglorum conuersione, plura videre licebit apud ipsum S. Gregorium Papam Magnum in Registro Epistolarum, lib.5. Epist.53. cuius initium est:* Quamuis fraternitatē vestram,&c. *ibi:* Atque ideo indicamus Sanctitati vestræ, Augustinum seruum Dei, præsentium portitorem, cuius zelus & studium bene est nobis cognitum, cum alijs seruis Dei pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare, &c. *De quo S. Augustino, eiusq. socijs ad Conuersionem Angliæ missis, ibidem fusius& in sequentibus agit Epistolis idem S. Gregorius, vsque ad 59. inclusiuè. & lib.7.Epist. 30. quæ incipit:* Communis filius præsentium lator Sanctitatis vestræ scripta deferens, &c. *est ad Eulogium Episcopum Alexandrinum. Et 114. cuius initium est:* Magistra bonorum omnium charitas, &c. *vbi quoque de Conuersione gentis Anglorum, & de Augustino istbuc misso scribit. item lib.9. Epist. 48. & 52. quæ incipit:* Licet fraternitatem vestram suscepti officij cura commoneat, &c. *vbi habet:* Quia igitur Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo conuertitur, vt Reuerendissimus communis frater & coepiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt, ad hoc opus exequendum per diuersa loca asserat non posse sufficere: aliquantos ad eum Monachos cum dilectisimis & communibus filijs

Lau-

Laurentio presbytero, & Mellito abbate præuidimus transmittendos, &c.] *Consonantq. hisce, quæ eodem lib. 9. scribuntur à S. Gregorio in Epist. 55.56.58.59. 60.71. Et lib. 12. Epist. 15. quæ Augustino Episcopo Anglorum dirigitur. ac Epist. 32. quæ in Registro eiusdem lib. 12. est postrema. De quo etiã Augustino, eiusq. Socijs, multa scribit Beda, de gest. Anglor. lib. 1. ca. 23. 24. 25. & sequentibus. & lib. 2. cap. 2. & 3. in Epitome, & de sex ætatibus. nec non Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij Papæ, alijq. alibi. Cuius quoque commemoratio fit in Martyrologio Rom. 26. Maij, in hæc verba:* Cantuariæ in Anglia Sancti Augustini Episcopi: qui illuc vnà cum alijs à Beato Gregorio Papa missus, genti Anglorum Christi Euangelium prædicauit, &c.] *Atque ista de S. Augustino primo Cantuariensi Archiepiscopo, hactenus.*

S. LAVRENTIVS, S. Augustini socius, & ab eo successor ordinatus, &c.] *Huius Laurentij etiam meminit S. Gregorius in Epistolis hic antea per nos citatis, 48. & 52. lib. 9. & Epist. 55. 56. 59. eodem lib. 9. &c. De quo, & Beda in historia de gestis Angl. lib. 2. cap. 4. 6. & 7. & Trithemius Abbas de viris illustrib. Ord. S. Benedicti, lib. 4. cap. 49. Consentiuntq. verbis Catalogi huius, quæ de hoc Laurentio successore S. Augustini referuntur in Martyrologio Rom. 2. Februarij, sub hisce verbis:* Cantuariæ in Anglia, natalis S. Laurentij Episcopi, qui post S. Augustinum eam Ecclesiam gubernauit, & Regem ipsum ad fidem conuertit.

S. MELLITVS, vnus ex Beati Gregorij discipulis, Londoniensis Episcopus primùm à S. Augustino institutus: postea defuncto Laurentio, Cantuariensis Archiepiscopus creatus est, ordine Tertius ab Augustino, &c.] *Huius Melliti (quem aliqui Miletum appellant) meminit S. Gregorius Papa in locis prius citatis, Registr. lib. 9. Epist. 48. 52. 55. 56. &c. De cuius etiam rebus gestis, Beda in histor. de gest. Angl. lib. 1. cap. 20. ac 30. & lib. 2. cap. 3. & 4. & sequent. item Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij, lib. 1. cap. 31. Et Martyrologium Rom. 24. Aprilis, de eodem sic:* In Anglia depositio Sancti Melliti Episcopi, qui à S. Gregorio in Angliam missus, Orientales Saxones, & Regẽ ipsorũ ad fidem conuertit.] *De quo, etiam hac ipsa die, 24. April. Beda in suo Martyrologio, Vsuardus, Ado Treuerensis, & alij.*

S. IVSTVS, Roffensi Episcopatui, viuẽte Augustino præpositus, defuncto Mellito (*& al. Mileto*) quartus in Cantuariensi Archiepiscopatu successit, &c.] *De hoc, pluribus agit Beda in histor. de gestis Anglor. lib. 1. cap. 29. & lib. 2. cap. 3. 5. 6. 7. 8. ac 18. & in Epitome. Meminitq. illius etiam Martyrologium Romanum, sub die 10. Nouembris, vbi de eo sic habetur:* In Anglia S. Iusti Episcopi, qui vnà cum Augustino, Mellito, & alijs à Beato Gregorio Papa in eam insulam missus ad prædican-

dũ Euangelium, ibidẽ Sanctitate celebris obdormiuit in Domino.] *De cuius tamen obitu aliqui variant, volentes eũ obijsse anno Domini, 632.*

S. HONORIVS, sub Honorio primo Pontifice Pallio donatus, &c.] *De huius actionibus, pluribus Beda in hist. Anglor. lib. 2. cap. 18. 19. ac in Martyrologio die 30. Septembris. & Tritbem. de Vir. illustr. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 62. & lib. 4. cap. 54. aliijq. alibi.*

S. THEODORVS Græcus, ex Tharso Ciliciæ Monachus, à Vitaliano Pont. Rom. Cantuariensis Archiepiscopus designatus, &c.] *Concordant quæ de eodem referuntur in Martyrologio Rom. sub die 19. Septemb. in hac verba:* Cantuariæ, S. Theodori Episcopi, qui à Vitaliano Papa in Angliam missus, doctrina & sanctitate refulsit.] *Cuius etiam Beda meminit in hist. de gest. Angl. lib. 3. cap. 29. & 30. ac lib. 4. cap. 1. & sequent. & lib. 5. cap. 8. ac in Epitome. Et Tritbemius de vir. illustr. ord. S. Benedicti, lib. 2. cap. 18. ac lib. 3. cap. 114. & lib. 4. cap. 60. De quo, & honorificentissima fit mentio in litteris Agathonis Papæ, quæ insertæ habentur in act. 4. Sextæ Synodi.*


S. ANSELMVS, natione Burgundus, siue, vt alij, Italus, ad Alpium radices in Augusta vrbe natus, &c.] *Trigesimus quartus hic in ordine reliquorum numeratur Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in Lanfranci demortui locum succedens. Cuius Anselmi præclara gesta, ac scripta recensuit Edinerus, ipsius contubernalis, quæ habentur apud Laurentium Surium in tomo 2. mandauitq. scriptis eadem Edmundus Monachus Cantuariensis: qui etiam alium fertur conscripsisse Commentarium, de discordia inter ipsum & Rufum Angliæ Regem, à quo innocens in exilium eiectus fuit; quare & Romam ad Paschalem Papã 2. se contulit. De quo Anselmo, etiam post alios Trithemius de vir. illustr. ord. S. Bened. lib. 2. cap. 101. vbi & illius Scripta recenset, & lib. 3. cap. 327. lib. 4. cap. 122. & lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. & alij de eodem alibi.*


S. THOMAS, ex Regni Cancellario Archiepiscopus, Ecclesiæ suæ iura defendẽs ab Henrico Secundo Rege in exilium eiectus, ad Alexandrum III. Pont. confugit, &c.] *Trigesimus octauus in ordine cæterorum hic Thomas recensetur Ecclesiæ Cãtuariensis Metropolitanæ Archiepiscopus. De quo, eiusq. rebus gestis complures scripserunt, & inter alios Herebertus eius comes indiuiduus, Ioannes Salisburgensis Episcopus Carnotẽsis, Gulielmus Cãtuariensis, & Eduardus eiusdẽ S. Thomæ contẽporaneus, cuius Commẽtarium in cõpendiũ redactũ Surius posuit tom. 6. De vita ac nece illius, etiã extat Petri Blesensis Epist. 27. in qua laudes eiusdem celebrat ac prædicat. Reperiturq. passio eiusdem S. Thomæ accuratè pleneq. descripta in MS. antiquo Lectionario Bibliothecæ Canonicorum S. Petri de Vrbe, quam nos nondum editam, inter Miscella-*

scellanea nostra ad Thaumaturgum posuimus, & hic quoque post Catalogum opportunè pro multorum satisfactione adiecimus. Cuius præterea Sancti fit mentio in Martyrologio Rom. die 29. Decembris. Plura de eo qui velit, in Volumine MS. bibliothecæ Vaticanæ, num. 722. inueniet: in quo, inter alia extat Registrum omnium Epistolarum eiusdem S. Thomæ Cantuariensis, & aliorum; quæ toto illo plurium annorum persecutionis tempore, vltrò citroq. sunt data. Coronatus est Martyrio S. Thomas anno Domini, 1171. regnante Henrico Secundo, vt hic in Catalogo refertur; & secundum alios, anno Domini 1170. Facta autem est eiusdem Translatio, anno octauo Honorij Papæ Tertij: de qua re extant Litteræ Apostolicæ, simulq. Opusculum à Stephano Archiepiscopo Cantuariensi (qui hic in Catalogo numeratur 42. in ordine) conscriptum. Quæ omnia habentur in iam allegato MS. Volum. Vatic. num. 722. vbi etiam reperiuntur Litteræ Alexandri Papæ Tertij, de eiusdem Canonizatione, &c. Et hæc de præcipuis illis Archiepiscopis Sanctis hoc loco dicta suffecerint. De reliquis videantur alij, qui Historias Anglorum suis scriptis prosecuti sunt.



PASSIO S. THOMAE CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI.





LORIOSI MARTYRIS THOMAE, Fratres cariſſimi, natalem celebrantes, quia totius vitæ & conuerſationis eius inſignia recolere nō ſufficimus; paſſionis eius modū, cauſſamq. ſuccinctus ſermo percurrat.

Beatus igitur THOMAS Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſicut prius in Cancellariæ & Archidiaconatus officio in rebus gerendis incomparabiliter exſtiterat ſtrenuus: ita & poſt ſuſceptum officium Paſtoris ſupra humanam æſtimationem factus eſt Deo deuotus. Conſecratus enim, repentè mutatus eſt in virum alium. Cilicium clam induit; femoralibus etiam vſus eſt vſque ad poplites cilicinis: & ſub veſtis clericalis honeſtate, habitum cælans Monachalem, carnem prorſus coegit ſeruire ſpiritui; Deo ſtudens, omnium virtutum exercitio, ſine intermiſsione placere. Scienſq. ſe ſpeculatorem poſitum in domo Domini, miniſterium ſibi traditum ſtudiosè compleuit. Iura, & dignitates Eccleſiæ, quas ſibi poteſtas publica vſurpauerat, reſarcire, & in ſtatum debitum reuocare conatus eſt. Vnde graui quæſtione ſuper iure Eccleſiaſtico, & Regni conſuetudinibus, inter ipſum & Henricum † Regem Anglorum exorta, coacto Concilio, propoſitæ ſunt conſuetudines illæ, quas idem Rex tam Archiepiſcopi, quàm Suffraganeorum ſuorum ſcripto roborari pertinaciter exegit. Negauit conſtanter Archiepiſcopus, manifeſtam in eis aſſerens libertatis Eccleſiaſticæ ſubuerſionem. Affectus eſt igitur contumelijs immenſis, damnis grauioribus attritus, & innumeris laceſsitus iniurijs. Tandem morte ſibi intentata, quia cauſſa Eccleſiæ nondum plenè innotuerat, & perſonalis videbatur perſecutio, cedendum cenſuit eſſe malitiæ. Actus ergo in exiliū, à Domino Alexandro Papa Tertio Senonis honorificè ſuſceptus eſt; & in Monaſterio pontiniacenſi ſtudiosè commendatus.

† Fuit hic Henricus, eius nominis Secundus Anglorum Rex.

Lect. 2. Confiſcantur interim in Anglia, eius Archiepiſcopi redditus, vaſtantur prædia, poſſeſsiones diripiuntur; & excogitato nouo ſupplicij ge-

nere,

nere,tota simul proscribitur THOMAE cognatio. Omnes etiam amici eius & familiares, vel quicumque eum quocumque titulo contingebant, sine delectu conditionis seu fortunæ, dignitatis, aut ordinis, ætatis, aut sexus, pariter relegantur. Nam & senes, & decrepiti, vagientes in cunis, & mulieres in puerperio decubãtes, in exilium acti sunt. Quotquot autem discretionis annos attigerant, tactis Sacrosanctis iurare compulsi sunt; quòd mari transito statim Cantuariensi Archiepiscopo se præsentarent, vt vel compassionis gladio confossus, conceptum animi rigorem ad Regis voluntatem inflecteret: Sed vir Dei, manum suam mittens ad fortia, exilium, damna, contumelias, & opprobria, parentum & amicorum proscriptionem pro Christi nomine patienter sustinuit, nulla prorsus fractus aut immutatus iniuria. Tanta denique fuit Confessoris Christi constantia, vt omnes coexules suos docere videretur: quia omne solum forti patria est.

Audiens autem Rex immobilem eius constantiam, directis per Abbates quosdam Cistercienſis ordinis, ad Capitulum generale comminatorijs, eum à Pontiniaco proturbari curauit. Timens autem Beatus Thomas, occasione sui, viris sanctis imminere dispendium, sponte recessit. Sed antequam inde progrederetur, diuina reuelatione confortatus est, ostenso sibi coelitus indicio, quòd ad Ecclesiam rediturus esset cum gloria; & per Martyrij palmam migraturus ad Dominum. Proturbatum à Pontiniaco excepit Christianissimus Francorum Rex Ludouicus, in eumq. se humanissimè, donec pax reformaretur, exhibuit. Sæpius tamen & ipse licet in cassum pulsatus est, ne Regis Anglorum proditori aliquod humanitatis beneficium impenderet. Processit vltimus furor immanis, & pijs auribus horrenda crudelitas. Cùm catholica etiam pro hæreticis & schismaticis, & perfidis Iudæis oret Ecclesia; prohibitum est, ne quis eum Orationum suffragijs iuuaret. Sex igitur annis continuis exulans, varijs & innumeris afflictus iniurijs: & quasi lapis viuus in structuram cælestis ædificij, multimodis tonsionibus atque pressuris est quadratus: & quo magis impulsus est, vt caderet, eo firmius & immobilius stare probatus est. Neque enim aurum tam anxiè examinatum exuri potuit, vel domus supra firmam petram fundata conuelli.

Lect. 3.

Ludouicus hic iunior fuit.

Denique tum Summo Pontifice, tum Rege Francorum procurante, reformandæ paci constituti sunt dies plurimi: quam quia Dei seruus nõ nisi honore Ecclesiæ saluo, & salua eius honestate suscipere voluit, discordes ab inuicem discesserunt. Miseratus tandem Summus Pontifex Anglicanæ desolationem Ecclesiæ, propositis comminatorijs vix tandẽ extorsit, vt pax Ecclesiæ redderetur.

Lect. 4.

Gauisa sunt ergo Regna, quòd Rex Archiepiscopum recepisset in

gra-

Exilij sui anno septimo redijt ad suā Ecclesiam.

gratiam, alijs credētibus negotium veraciter agi; alijs aliud conijcientibus. Igitur exilij sui anno septimo, redijt Pastor in Angliam, vt vel oues Christi à luporum morsibus liberaret; vel pro grege sibi credito seipsum impenderet. Suscipitur à Clero & populo, cum gaudio inæstimabili, illacrymantibus omnibus, & dicentibus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Sed post dies paucos, iterum damnis & iniurijs supra modum & numerum affectus est; & Edicto publico, Ecclesiæ suæ septa exire prohibitus. Quisquis ei, vel alicui suorum faciem hilarem prætendebat, publicus hostis censebatur. In omnibus his non est effractus animus eius, sed adhuc ad Ecclesiæ liberationem manus eius extenta. Quinto verò Dominicæ natiuitatis die, veniunt Cantuariam Aulici quattuor, auri quidem præclari genere, sed malefactis † clamosi. Et ingressi, Pontificem verbis contumeliosis aggrediuntur; lacessunt conuitijs, tandemq. minas ei grauiter intentant. Respondit vir Dei modestè, iuxta quod ratio exigebat ad singula; adijciens sibi multas illatas iniurias esse, & non esset qui errata corrigeret, dissimulare se de cætero nec posse, nec velle, quin curæ pastoralis officium exerceret.

† f. famosi.

Lect. 5.

Turbati sunt igitur ad hæc verba insipientes corde, & iniquitatem in excelso locuti, exierunt continuò. Quibus egressis, processit Pontifex in Ecclesiam, vt laudes Christo vespertinas exsolueret.

Sequuntur à tergo gladijs exertis, Sathanæ satellites loricati, armatorum manu multa sequente; aditum Ecclesiæ Monachis præcludentibus, accurrens Dei Sacerdos, & hostia Christi mox futurus, hostibus ostium reserauit: Non est (inquiens) Ecclesia, vt castrum obseranda. Irrumpentibus illis, & alijs vbi sit proditor, alijs vbi sit Archiepiscopus, furibunda voce quærentibus; processit eis obuiam Christi confessor intrepidus. Intentantibus ei mortem; Et ego (inquit) pro Dei Ecclesia mortem libenter suscipiam: Sed ex parte Dei præcipio, ne meorum cuiquam noceatis. Christum videlicet, imitatus, in Passione dicentem: Si me quæritis, sinite hos abire. Irruentes igitur in Pastorem pium lupi rapaces, in patrem proprium degeneres filij; in hostiam Christi, crudelissimi lictores, consecratam capitis coronam funestis gladijs amputarunt: & Christum Domini solotenus præcipitantes, cerebrum cum sanguine, quod dictu quoque horrendum est, per pauimentum crudelissimè sparserunt. Sic itaque Iustus ab iniustis occisus, domum luteam cælesti palatio commutauit.

Ioan. 18.

Vltima Martyris verba.

Vltima verò Martyris verba, quæ præ confusione clamoris discerni vix poterant, iuxta propius astantium assertionem, hæc fuerunt: DEO, ET BEATAE MARIAE, ET S. DIONYSIO, ET SANCTIS HVIVS ECCLESIAE PATRONIS MEIPSVM COMMENDO, ET ECCLESIAE CAVSAM.] In omnibus autem cruciatibus,

quos

quos inuictissimus Dei athleta pertulit, non clamorem emisit, non gemitum edidit, non brachium aut vestem ferienti opposuit: sed caput quod inclinatum gladijs exposuerat, donec consummaretur, tenens immobile, quasi ad orationem prostratus, obdormiuit in Domino.

Regressi verò viri scelerati in Sancti Pontificis Palatium, quidquid pretiosum potuerunt inuenire, sibi diuiserunt. Mœror ingens super innocentis morte, & direptione suorum, tenebat omnes, & infinita animi tribulatio: fecit tamen repentè cum tentatione prouentum diuina clemētia: & per visiones quasdam, futuris quasi prælucens miraculis, Martyrem in proximo signis glorificandum, redituram post mortem lætitiam, & turbam languidorum, beneficiorum gratiam innuit esse consecuturam. Post mortem verò Martyris, adeò in persecutores eius vltio diuina desæuit, vt in breui sublati de medio non comparerent. Et alij quidem sine confessione & viatico subitò rapti: alij digitos, vel linguas proprias dentibus frustatim decerpentes: alij, sanie defluentes, & toto corpore tabefacti, & torsionibus inauditis ante mortem cruciati: alij, paralysi dissoluti; alij, amentes effecti: alij cum insania exspirantes, manifesta reliquerunt indicia, quòd iniustæ persecutionis, & excogitati parricidij pœnas exsoluerent. Sed vt palam fieret mundo, quia Dominus Sanctum suum magnificauit, primo Martyrij sui tempore, multis cœpit Martyr miraculis coruscare: cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam restituens. Deinde leprosos mundans, paralyticos consolidans, hydroposin & omnia morborum incurabilium genera curans, mortuos resuscitans: dæmonijs etiam, & elementis omnibus mirabiliter imperans; ad inusitata quoque & inaudita signa potentiæ suæ manum extendit. Nam & oculis, & membris genitalibus priuati, meritis ipsius noua membra meruerunt suscipere. Quidam autem qui Sancti miracula deprauare præsūpserūt, repētè percussi, coacti sunt ea prædicare vel inuiti. Denique aduersus omnes æmulos suos, vsqueadeò Martyr præualuit, vt vniuersi qui detrahebant ei, venientes venerarentur, & adorarent ad sepulcrum eius.

Lect. 6.

Diuina vltio in impios persecutores desæuit.

Miraculis varijs Sāctus post mortē claruit.


Passus est autem athleta Dei egregius THOMAS, anno ab incarnatione Domini, secundum Dionysium, millesimo, centesimo, septuagesimo, quarto Calendas Ianuarij, feria tertia, hora quasi vndecima: vt Domini natalis ad laborem, eius fieret natalis ad requiem. Ad quam nos perducere dignetur, idem Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS: Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat: Per omnia secula seculorum. AMEN.

Passus est Martyriū S. THOMAS, anno Domini 1170.

NOT. Desumpta est hæc PASSIONIS siue Martyrij S. THOMAE, Cantuariensis Archiepiscopi historia ex peruetusto MS. Bibliothecæ

thecæ Ecclesiæ S. PETRI de Vrbe, vbi ea plenè habetur sex Lectionibus distincta, sicut olim in matutinali Chori officio legi erat solita: quam vel ideo hic duximus adijciendam, quòd breuiter processum totius Martyrij percenseat, & miracula quibus SANCTVS post mortem coruscauit, accuratè comprehendat, omnibusque patefaciat.

FINIS.



Imprimatur si placet Reuerendiss. P. Magistro S. Palatij Apostolici.


B. Gypsius Vicesger.


Reuerendissime P. Magister. Catalogum Archiepiscoporum Cantuariensium, & Passionem S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, cum Notis eruditissimi Doctoris Gerardi Vossij legi summa cura: nihilq. in eis reperi quod Ecclesiæ fidei, aut sacris moribus aduersetur: immo potius præclaram pietatem, & eruditionem in eisdem obseruaui.

Frater Thomas Maluenda S. Theologiæ Præsentatus, Ord. Prædic.

Imprimatur,

Fr. Ioann. Maria M. S. P. Apostolici.





ROMÆ,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti. M. DC. IV.